Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2341
Quelle:
Copyright:

dinis fratrum predicatorum salutem &c. Excellentie uestre recepi literas ex quibus et piam sollicitudinem &c. Domina haec *Margarita* est Comes *Flandriae*, quae *Thomam*, quomodo habendi sint *Judaei*, consuluerat, unde Responsum hoc in Editionibus inscribitur: *de Regimine Judaeorum*, et est in Edit. *Rom.* 1570. T. XX. Opusculum 21. f.

IX. *fol.* 48. *Fratris Sybotonis ordinis predicatorum.* Quid vero? Psalmus *Miserere* verficulatim expositus hoc initio: *Septem sunt defectus impellentes hominem ad querendam misericordiam dei* &c. ut jam hoc *Vol.* retuli. Vide *Indicem.*

X. *fol.* 109. Triga *Sermonum:* De VII. Donis Spiritus S. De Passione Domini. De Ejusdem Nativitate, quibus immorari operae pretium non fert.

XI. *fol.* 114. Tractatus minutissime exaratus *de Virtutibus*, primum in genere, dein de Theologicis, tum de Cardinalibus, demum de Donis s. Spiritus, Beatitudinibus evangelicis &c. Autor tacetur. Initium est: *Uirtus sine studio sui esse non potest. Bernh. Primum opus uirtutis est docere. Uirtus cum humilitate uult doceri, cum labore queri, cum amore haberi* &c. Opus non absimile Tractatui *Guilielmi Alverni* de eadem materia.

DCCCCXLIV.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 31. 4. min. sat nitide perscriptus, et rubricis distinctus complectitur, ut e calce praeoccupo, *Statuta prouincialis Concilij Moguntini per nos P.* (etrum) *dei gratia Sancte Moguntine Sedis Archiepiscopum presentibus nostris confratribus et suffraganeis celebrati. Anno Domini M°. CCC°. Decimo feria secunda post dominicam qua cantabatur Jubilate quibus nostrum Sigillum duximus appendendum.* Ex his verbis, quae nemo recitat, Exemplum istud ad Αυτογραφον aliquod descriptum fuisse videtur, quale non contigit editori *Harzhemio*, qui T. IV. *Concill. Germ.* p. 224. fatetur, se ad rursum publicanda haec *Statuta* non nisi impressis Exemplaribus usum fuisse. Norat ille tamen Codices *mss.* tres, et Editiones quinque. Unde mirari subit *Nic. Serarium*, qui L. V. *Rer. Mogunt.* c. 39. hujus Concilii vix paucula superesse censuit. Addamus nos etiam *Collectionis Concill. Labb.* editionem *Venetam*, cujus T. XIV. ad col. 1479. insertum est. Ordo porro Decretorum in nostro Codice in eo solum abit ab *Harzhemiano*, quod in *Libros* divisa non sint, et Decretum contra *Beghardos et Beginas*, quod ibi p. 200. habetur, nobis *fol.* 17. p. 2. tribus sequentibus Decretis postpositum legatur, et aliquoties duo Decreta confluxerint in unum, aut unum in duo sit tributum. Major U. 631